

† R. P. Gulielmus Timotheus Gorman.

(*Prov. Angl.*).


† R. P. Gulielmus Timotheus Gorman.

(*Prov. Angl.*).

Die 30 aprilis 1925 in nosocomio Cheam prope domum nostram in Clapham provinciae Anglicae post brevem morbum parvamque operationem chirurgicam sacramentis ecclesiae munitus fere praeter exspectationem supremum diem obiit P. Gulielmus Timotheus Gorman.

Natus est die 16 ianuarii a. 1863 Limerici in Hibernia parentibus aca- tholicis. Pater eius sectae protestanticae minister fuit, quae a Ioanne Wesley his in regionibus originem habuit. Puer studia inferiora in collegio eiusdem

sectae peregit, superiora cum optimo successu in collegio Belfastensi, quod *Queens University* dicitur, complevit, nec multo post in collegio, in quo ipse puer in litteras operam navaverat, pueros docendi et instruendi munus suscepit. Mox vero in Angliam venit et ecclesiae protestanticae anglicanae ascriptus est. Ast cum res divinas impigre semper scrutaretur, acatholiconrum placitis non contentus veritatis inveniendae desiderio ardebat, ac tandem ad altiora vocatus a Deo O. M. verae fidei donum accepit. Anno 1899 apud Patres nostros in Bishop's Stortford fidei professione facta in ecclesiam catholicam rediit.



Paulo post conversionem factam noviciatum nostrum in Perth Scotiae ingressus est ibique die 23 octobris a. 1901 votis religiosis se obstrinxit, quo facto in studentatibus Pulchriugi in Belgio

et Mauternae in Austria per duos annos studiis theologicis operam dedit. Mauternae die 2 augusti, festo S. P. N. Alphonsi, a. 1903 sacerdos ordinatus est. Reversus in Angliam in variis domibus est commoratus et in s. missionibus aliisque laboribus apostolicis fortiter laboravit.

Inter confratres praeclaris cordis animique virtutibus eminuit, quam ob rem a superioribus electus est, qui iuvenatum provinciae moderaretur. Ultimo autem vitae anno procuratoris provinciae munere functus est. Constitutiones regulasque nostras in linguam anglicam ipse vertit et ordinem divini officii recitandi missaeque celebrandae ad usum provinciae Anglicae a nonnullis annis componendum suscepit.

In theologia morali et iure canonico versatissimus fuit. Multum temporis audiendis fidelium confessionibus tribuit multisque acatholicis viam, quam ipsi invenire contigit, in veram Christi ecclesiam monstravit.

Piissimam erga Beatam Virginem devotionem habuit. S. sacramentis receptis rosario eius recitando ad mortem se praeparare coepit.

Vitae religiosae inter labores apostolicos tum in missionibus nostris, tum in variis nostris ecclesiis cum maxima sollicitudine peractae finem fecit die 30 aprilis huius anni. In coemeterio Mortlakensi apud Clapham resurrectionem in Domino exspectat. R. i. p.!